



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 35. Diversæ Clementis XI. Constitutiones & gesta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

„Regi, tranquillitati ac Paci; cum e-  
 „nim perspecta sit omnibus auctoritas,  
 „quam apud Rempublicam ob dignita-  
 „tem, qua decoraris, obtines, fieri  
 „vix potest, ut adversi aut secundi  
 „casus, qui isthic subinde contingent,  
 „Tibi potissimum non adscribantur.  
 „Movere autem Te imprimis debet  
 „Dei caussa, quæ hic tam manifeste  
 „agitur, in qua si quæ minus diligen-  
 „ter, quam decet, præstiteris, nonne  
 „Deus requiret ista? ipse enim novit,  
 „abscondita cordis. Age itaque, &  
 „dum tui muneris debitum implere sa-  
 „tagis, tui etiam nominis splendori  
 „consule, ac cura, ut Tibi Patria per-  
 „petuo debeat eam felicitatem, quam  
 „maxime nunc expetit, Nobisque de-  
 „mum hoc solatium in sollicitudine,  
 „quam in tanta Christianæ Reipublicæ  
 „perturbatione gerimus, conciliare ne  
 „prætermittas.”

Sæc. XVII.  
 A. C. 1703.

§. XXXV.

*Diversæ Clementis XI. Constitutio-  
 nes ac gesta.*

Jam supra adduximus Clementis XI. Bullam, qua duodecima Februarii die famosum casum conscientie damnavit, cujus Bullæ necnon sententie die 23. Octobr. 1668. pronuntiate ex-  
 Hist. Eccles. Tom. LXVII. I cutio

Bull. magn.  
 Const. Cle-  
 mens XI.  
 Const. 12.  
 Epist. Clem.  
 XI. Vid.  
 supra t. 66.  
 pag. 714.

Sæc. XVII.

A. C. 1703

cutionem Franciæ Rex publico edicto præcepit, atque imposito silentio cunctos libros circa hoc argumentum editos proscripsit. Paruere Episcoporum potissimi, qui hanc Papæ Constitutionem promulgarunt, Parisinum autem, Aquense ac Burdegalense Parliamentum horum Præsulum edicta superpresserunt. Ita nempe Parliamentuminas, & mandata Regis sui spernere assueverunt sub obtentu tuendi libertates non Ecclesiæ, sed potius Regni & Parliamentorum: Ceterum ex aliis summi Pontificis Constitutionibus, & Epistolis nonnisi paucas seligimus, quarum inter celebrior est Bulla Jubilæi, quod die quarta Januarii Christi fidelibus Italiæ & Insularum adjacentium Devotam in præsentibus belli necessitatibus implorantibus indulgit. Edidit quoque plura decreta, quibus sceleribus liberius Romæ grassantibus obicem posuit, & Cardinalibus injunxit, ut suos famulos Christianæ doctrinæ præceptis melius instrui curarent; hancque rem per omnes Ecclesias libellos Christiana dogmata continentes pro institutis rudioribus distribui, simulque otio deditos, aut de perversa doctrina suspectos atque inter eos Comitum de Tesno aliosque custodiæ tradi iussit. declaravitque, quod Confessarii possint juber

Sæc. XVII.  
A. C. 1703.

juberi ab Episcopo, ut denegent abso-  
lutionem Parentibus valde contumaci-  
bus quoad Filiorum educationem in  
rebus ad animarum salutem pertinen-  
tibus. Die autem vigesima septima  
Januarii Joanni Archiepiscopo Mexicano  
injunxit, ut Didacum novæ Segobiæ  
in Philippinis Insulis Episcopum, qui  
a die suæ inaugurationis alibi moram  
traxit, ad residendum in sua Ecclesia  
compellat. Cum autem Daniel Archi-  
episcopus Aquensis Pontificia mandata,  
quibus ei Regularium visitatione inter-  
dicta, censuras ab eo latas tollere jus-  
sus erat, flocci haberet, seque Con-  
cilii Tridentini auctoritate & quarum-  
dam Diæcesium consuetudine perperam  
tueretur, ac insuper hoc anno in Ec-  
clesia PP. Carmelitarum effractis sacri  
hujus loci foribus, adjunctaque sæculari  
potestate visitationem habuerit, hinc  
Pontifex die decima tertia Februarii,  
hæc Archiepiscopo non licuisse, proin-  
omnia hucusque acta omnino irrita,  
nullumque Regularium exemptioni præ-  
judicium inde illatum esse, & Regula-  
res libere ac licite Divina officia & Sa-  
cramenta ministrare, eaque in dictis Ec-  
clesiis celebrari posse declaravit: Sub  
idem tempus nuntiatum erat Pontifici,  
quod Maximilianus Emanuel Baviaræ  
Electo cum copiis suis Neoburgensem

Sæc. XVII.

A. C. 1703.

Urbem invalerit, atque Electorale Palatium, in quo non modo Palatini Electoris Vidua gravi senio pressa, Imperatricis, pluriumque Reginarum & Principum Mater, sed etiam ejus Filius Episcopus Augustanus degebat, tormentis quatere jusserit, Pontifex igitur Sacerdotalis honoris dignitatem immunitatemque fuisse violatam ratus ad Mariam Casimiram Poloniæ Reginam Viduam Bavari Electoris Socrum die tertia Martii literas dedit, quibus eam hortabatur, ut hanc injuriam congrue sarciri curaret: parem quoque læsæ immunitatis reparationem ab Imperatore fieri die septima ejusdem Martii petebat, eoquod ejus milites prope Bononiam incursionem atque executionem more militari non sine prætextu libertatis, atque immunitatis ditionis Ecclesiasticæ competentis violatione ac Pontificiæ auctoritatis contemptu fecissent: Præterea die vigesima quarta præfati Mensis Didacum Manilæ Archiepiscopum hortabatur, ut in regionibus prope Insulas Philippinas recentis detectis proferendæ Evangelicæ veritatis curam haberet, earumque animarum saluti prospiceret. Hoc item anno Joannes Patriarcha Alexandrinus Abrahamum de Anna Romam ablegavit, ut summum Pontificem de Patriarcha

triarchæ studio ac devota in Sacram Sæc. XVII.  
 Sedem voluntate certiolem redderet, A. C. 1703.  
 hinc Pontifex datis undecima Aprilis  
 die literis eundem hortabatur, ut nulla  
 se difficultate præpediri, nulla cuncta-  
 tione detineri patiatur, quominus sta-  
 tim & aperte declararet, velle se ean-  
 dem fidem cum Ecclesia Catholica, &  
 Romano Pontifice firmiter tenere: hanc  
 in rem Pontifex fidei confessionem ad  
 eum transmisit, petens, ut illam ma-  
 nu sua subscriptam, quamprimum li-  
 cuerit, Romam remitteret. Præterea  
 Persarum Regem enixe rogabat, ut  
 Stephanum Naxivaniensem Armenum  
 præsidio & favore contra illos, qui eum  
 ab obeundis muneris sui functionibus  
 impedire possent, communire velit &  
 Catholicis dirutas Ecclesias instaurare  
 perimittat, necnon Mercatores Catho-  
 licos novis tributis per Regni sui Ad-  
 ministratos prægravari prohibeat. Ac-  
 cusabatur Josephus Clemens Colonien-  
 sis Elector atque Archiepiscopus, quod  
 ipse castra adire, & militari expedi-  
 tioni interesse velit, quocirca Pontifex  
 eum ab eiusmodi consilio deducere,  
 gravissimis propositis rationibus die vi-  
 gesima sexta Maij nitebatur. Petebat  
 quoque Lusitanæ Rex per Antonium  
 Regum Jesuitam dispensationem in pri-  
 mo affinitatis gradu pro Personis primæ

Sæc. XVII. Nobilitatis, Regique maxime com-  
 mendatis. Verum Pontifex id con-  
 cedere renuit, eoquod ejusmodi impedi-  
 mentum nonnisi & forte casu, quo publicis  
 boni ratio inter præcipui tamen Ordinis  
 Principes ita exposceret, removeri a Pon-  
 tificibus non debeat. Die autem decima  
 quinta Septembris gratulabatur Rei-  
 publicæ Ragulinæ, quod annum tri-  
 butum Turcis pendi imperatum fuerit  
 imminutum, factaque intermissæ per  
 aliquot annos solutionis venia. Cum  
 autem Joannes Ernestus Archiepiscopus  
 Salisburgensis, Lusitaniæ Rex &  
 Herbipolensis & Paderbornensis Epi-  
 scopi marmoreas Statuas SS. Thomæ,  
 Philippi, & Joannis Apostolorum  
 pro ornanda Ecclesia Lateranensi col-  
 locari curarint, hinc Pontifex eorum  
 pietatem, ac munificentiam datis liti-  
 ris commendabat, simulque die deci-  
 ma tertia Octobris Christianum Augu-  
 stum Saxo - Citiensem Episcopum Jau-  
 rinensem hortabatur, ut Aatholicorum  
 militum Bonnæ hospitantium, qui  
 suæ sectæ exercitia in ipso Electoralis  
 Palatii Sacello peragere præsumpse-  
 runt, licentiam cohiberi curaret. De-  
 nique cum Angelus Visinus Judæus  
 Liburno Romam contendens, se Bap-  
 tismum suscipere velle declarasset, &  
 Pontifex eum propria manu sacro fonte  
 im-

posito nomine Clementis Cosmi Albani Sæc. XVII. A. C. 1703.  
 abluisset, Cosmum magnum Etruriæ  
 Ducem rogabat, ut Neophyto huic,  
 ejusque rebus adesse, & ejus uxorem,  
 ac filiam, si illius vestigia sequi inten-  
 dant, ita juvare velit, ut id exequi  
 non impediatur.

§. XXXVI.

*Plures Sacrarum Congregationum  
 decisiones.*

Inter alia plura SS. Congregationum Bull. magn. pag. 24. Const. S. Congr. Rit. Concil. &c.  
 decreta die duodecima Martii sta-  
 tutum legimus, quod Collegiata sæcu-  
 laris præcedat Collegiata Regulari:  
 inculcatum quoque omnibus Ecclesiæ  
 Cathed. vel Collegiatae inservientibus,  
 ut in Choro cum omni reverentia, si-  
 lentio ac modestia assistant, & sine  
 præcipitatione vel obtruncatione ver-  
 borum psallant. Die autem vigesima  
 sexta Martii S. Congregatio Propagan-  
 dæ fidei Vicariis Apostolicis & Missio-  
 nariis in Anglia injunxit, ut sæculari-  
 bus, politicisque negotiis nequaquam  
 sese immiscerent, sed Evangelico dun-  
 taxat ministerio intenti sint. Declara-  
 tum quoque die duodecima Junii a S.  
 Immunitatis Congregatione, quod dun-  
 taxat ad locorum Ordinarium pertineat  
 recognitio Brevium Indulgentiarum a